

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Quistorp Johann Cröchel

## **Disputatio Theologica De Iuramentis**

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738015024>

Druck Freier  Zugang



Kat.: P. Dreierius  
Joh. Anthon. Druisterp / a  
R. N. theol. 1643.



24

DISPUTATIO THEOLOGICA  
De  
**JURAMENTIS.**

*Quam*  
Trinuno favente Numine  
Consensu & suffragio veneranda facultatis Theo-  
logica in inclita Universitate Rostochiensi.

SUB PRÆ SIDIO

Viri admodum Reverendi, Clariſimi, atq; Excellentissimi

Dn. JOHANNIS QUISTORPII,  
S. S. Theologiæ Doctoris & Professoris celeberrimi, ejusdemq; facultatis Senioris meritissimi, p.t. Decano  
spectabili, & ad D. Mariæ Ecclesiastæ vigilantissimi,

Fautoris & promotoris sui summo obſervan-  
tiæ cultu prosequendi.

Publicæ ventilationi ſubijciet

Autor & Respondens

JOHANNES CRÖCHELIUS,  
Huſo Holsatus.

die 29. Aprilis in aeroaterio majori  
horis matutinis.



ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. XLIII.

1643



VIRIS

Amplissimis & Consultissimis

DN. BOCATIO FEDDERO,  
DN. CASPARODANCKWERTH, Med. D.  
Reipubl. Husanæ Consulibus gravissimis.

UT ET

Speciosissimis, & Prudentissimis

DN. TITO AXENIO.

DN. JOACHIMO GIESENIO,

DN. CONRADO WIEN.

Cæterisq; ordinis Senatorij Viris, de Republicâ  
patriâ optimè meritis & laudatissimis, Mœcenati-  
bus ac Patronis suis ætatem suspiciendis.

S. & O.

Quam propenso & benevolo in Meos quos revereor adeoq; me  
ipsum animo situs, abunde ut rede recordor, testati estis, qui  
partim eximiâ vestrâ humanitate, parim meritis non exiguis id  
effecisti. ut ad summam Vestri observantiam jam à teneris me  
provocatum esse censem. Veneraretur sane tam praelare meri-  
tos generosa antiquitas jam aris & columnis, jam numerosis car-  
minibus & aliâ ratione: ego vero eâqua possum erga vos me gra-  
tum ut praberem, vestrig, favoris verticem consequeret ipsa mihi  
persuasit pietas! Magis hac vestrâ in me benevolentâ Viri hono-  
ratisimi patimini me Vobis satisfacere in eo, quod omnibus votis  
expeto, hoc est, ut indicium hoc grati animi non sit ingratum eis,  
quibus ut digni sunt cultum & perpetuam habeo venerationem, o-  
mniaq; à Deo precor fausta & felicia. Valere (nam pluribus pre-  
fari pagina non permittit) Valete inquam quam felicissime, & hac  
qualia qualia in gratitudinis & observantie monumentum Vobis  
demisse & officiose oblata & consecrata esse arbitramini.



J OHANNE CRÖCHELIO.  
A. & R.



Σὺν Θεῷ.

THEISIS I.

I à mendaciis & fraudibus quibusvis omnes abhorrent homines justitiae & veritatis, uti debebant, studiosi essent, neq; juramentis neq; legibus, quibus malitia refrænatur opus habemus. Quemadmodum autem bona leges sæpe ex malis moribus originem trahunt, ita ob mendacia & fraudes juramenta introducta esse certum est, de quibus disquisitionem aliquam *Theologicam* instituere nobis hac vice animus est, & quidem duplici consideratione absolvendam: Una *præliminari seu proæmiali* sedem disciplinarem & prædicamentalem; altera *principali ipsum* *Jéμa* expendente, cum utraq; faciliori ipsius thematis cognitioni inserviat.

2. Juramentorum sedes *disciplinaris* est partim *jurisprudentia*, quatenus ea circa περίου juramentorum quotidie in foro occurrentem occupata est: partim *Ethica* quando circa veritatem occupatur, imprimis quomodo illa προσετικῶς proferatur ratione modi absolute citra adjectionem juramenti & respective seu restrictive magis cum restrictione ad juramentum & invocationem Dei, ut sit veritatis testis & mendacii vindex. Maxime *Theologia* omnium illorum, quæ jCti & Ethici de juramentis tradunt norma. Est enim juramentum species cultus divini, invocationis & confessio-  
nis, illum esse verum Deum per quem juramus.

Ez. 19.18.6.  
45.23.6.68  
v.16.

3. In specie autem observandum, ubi de juramentis agatur, cum in *Scriptura* tanquam unico *Theologiae* principio, tum in *August.*, *confessione* tanquam publico orthodoxæ *Theologiae* symbolo.

4. Quod ad *Scripturam* de juramentis agi dicimus in II. præcepto Decalogi tanquam in propriâ sede, Verba ita sonant, שְׁמָךְ יְהוָה אֱלֹהֵינוּ לְשֻׁנָּנוּ לֹא תַּעֲשֶׂה אַתָּה עַבְדֵי אֱלֹהִים  
Exod.20.9

**N**º 4 Radix N⁹⁹⁹ observanda venit. Illa enim cum Esa. 3, 7. in specie pro jurare accipiatur, inde colligimus in hoc præcepto interdici (1.) in genere divini nominis abusum quovis modo. (2.) in specie qui male jurando cōmittitur, cum per nomen Dei jurandum sit Deut. 6, 13. Ideoq; Mosche II. præceptum repetens hæc duo con-

**L**ev. 19, 12. jungit, *nomen Dei profanare & per nomen Dci perfidum iuramentum dicere.* Unde & pleriq; Theologi explicationi II. præcepti doctrinam de juramentis exemplo B. Lutheri adjungere solent.

5. Quoad Aug. confessionem agit illa de juramentis in articulo XVI. de rebus civilibus, cuius Iēsū approbat & confirmat legitimas ordinationes civiles, esse bona opera Dei, Christianis licere Magistratus gerere, exercere iudicia, &c. iurandum postulantibus Magistribus dare &c. à vī Iēsū autem Anabaptistas damnat, qui hæc civilia officia Christianis interdicere ausi fuerunt.

6. Juramenti sedes Prædicamentalis est Actio: definitur enī per verba actionem significantia ut postea patebit in definitione. In Categorīa autem Actionis ponitur juramentū, si modum spectas directe tanquam actio immanens habens suum objectum quo terminatur, licet nullam in eo mutationem efficiat ut transleentes: si gradum ut species specialissima, cum plures species sub se non contineat.

7. Considerationem Proæmialē sequitur Principaliū quæ est vel Nominalis vel Realis. Illa alias ὀροφειαλογίας; hæc περιεγματολογίας nomine venit.

8. Consideratio Nominalis concernit Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam. Illa Thematis originem; ista variam significationem & distinctionem; hac diversam nuncupationem attender.

9. Originem quod attinet, alii derivant juramentum à jure magente, quæ enim juramus ea firma & immota debent esse: alii magis allusivè quam verè hic compositionem querunt, qui derivant à justitiā mentis; At cur tum non potius dicendum juramenta, quemadmodum amentia, dementia? cur à mente potius quam à mento? Mentum nihil ad hanc significationem facere dices. Quid ergo mens ad munimentum, nutrimentum, velamentum, lenimentum,

**V**all. 1. 6.

**Eleg. e. 37.**

mentum, medicamentum & hujusmodi plura? Rectius ergo juramentum sua origine vocem simplicem esse dicimus à jurando deducitam, & talia nomina assumpsisse syllabam tum cum antea sexiverint in men, ut juramen, lenimen, munimen &c. pro quibus postea additâ syllabâ tum dixerunt juramentum, lenimentum, mumentum &c.

10. Significatio vocis juramenti non est una. In sacris enim notat. (1.) ἐπερβολικῶς quamvis promissionem infallibilem, ut Psal. 110. 4. Juravit Dominus, & non paenitebit eum: Tu es Sacerdos in eternum, secundum ordinem Melchisedek i. e. filio suo æternum sacerdotium sancte pollicitus est. (2.) Μετανυμικῶς, fædus aut pactionem juramento confirmatam Gen. 26. 28. votum. Num 30. 3. (3.) Συνεδοχικῶς totum Dei cultum, Jer. 4. 2. cap. 12. 16. confer omnino Rom. 14. 11. quia juramentum est species cultus divini Esa. 45. 22. & 48. 1. Exsecrationem in solempni juramento adhiberi solitam tanquam alteram juramenti partem. ut Esa. 65. 15. Relinquetis nomen vestrum בָּשָׂר in juramentum id est exemplum iræ Dei ponemini, ut omnes jurantes dicant; Ita mihi non accidat tale malum ut illis accidit. (4.) Γενικῶς, quasvis affirmatiōes & obtestationes civiles, apud omnes ferē nationes receptas, cum collatione rei alicuius certae & manifestae, seu etiam charæ & veneratio[n]e nostra dignæ: Unde Josephi per vitam Pharaonis jurantis hæc mens fuit illud quod assevero tam certum est, quam certum est Regi meum vivere, aut me hunc salvum velle, conferi. Sam. 1. 26. cap. 17. 55. cap. 25. 26. 1 Cor 15. 31. Sic & Petronius in Satyrico aut vir Petron. in ego liberg[us] non sum, aut noxiu[m] sauguine parentabo injuria mea. & Te. Sat. p. 33. rent. Tam scio Parmenonis esse hanc technam quam scio me vivere, Terent. in Unde & Germani. So wahr ich lebe / so wahr ich ein redlicher Eunuch. Kerl bin. (5.) εἰδικῶς ήγή εἰξοχῶς Dei invocationem in testem ditorum aut factorum, quam hic attendimus.

11. Pertinent huc juramentorum distinctiones, quarum à variis variæ traduntur; nos præciuas ad hanc unicam referemus. Omne juramentum est vel assertorium vel promissorium. Assertorium est, quo asseveratur, aut negatur aliquid de re præsenti aut prædicta. Estq; vel voluntarium quod inter privatos extra judicium præstat

**Schard. in  
Lex jur.** statut in conventionibus, contractibus, pactis &c. sic dictum quia præstare cuiq; liberum est ; vel delatum & necessarium quod judex in judicio & controversiis partibus defert, sic dictum quia sine gravissimis causis recusari non potest. Hoc secundum ICtos in tripli est differentia : aut enim est *suppletivum*, quod à judice deferatur in defectum probationum ; aut *purgativum* quo se quis purgat de conscientiâ ; aut *in litem necessarium* quando estimatur lis ex affectione jurantis. *Promissorium futurorum* est : Hujus autem quoddam est vel *voluntariorum* ; quoddam *coactum* : Quoddam suscipitur ratione objecti de re impiâ, illicitâ, impossibili dubiâ & incertâ : quoddam de re possibili, liciât justâ & bonâ.

**Gen. 21.28.** 12. *Æquivalens appellatio* multiplex est pro varietate linguae. *Hebreus* dicitur יְהוָה vel in sâm. הַעֲלֵה descendunt hæc nomina à עֲבָדָה juravit, quamvis enim est conjugat. *Niphal* seu *passiva*, neutralem tamen obtinet significationem, ut intelligas *juramenta fieri cum passione quadam*, illorumq; esse *juramenta præstare*, qui à *magistratu coguntur* : primâ origine sumuntur à עֲבָדָה quod *septem* significat ut intelligas *juramentum sacrum esse*, sive olim VII. testes in *juramentis adhibitos esse*, quemadmodum Abraham

**Plaut. in  
Cistell. a.  
P. sc. 8.** Regi Abimelech in Berseba jurans septem agnos statuit, quas eidem dedit in confirmationem *juramenti & fædoris* initi. *Græcis* ὅρᾳ quod alii derivant ab ἀργεω i.e. tanquam in carcere cohibeo. Nam ὁ ὄμυνων ηγετίσηνται ; πως οἵς ὄμολογεῖς : alii ab ὅρᾳ *Terminus, limes, juramentum* enim est terminus, quo controversies finiuntur & ipsi jurantes ὡραὶ οὐται i. e. intra limites continentur, ut non possint aliud, quam quod ὄμολογητικῶς jurarunt. *Latinis* præterea dicitur *jurandum, jusjurandum, Sacramentum*, quia per rem sacram seu Deum ipsum *juramentum fieri solet* , & hæc vox olim ἀδικῶς *juramentum militare* significabat, quo milites in verba Imperatoris sui jurabant, se omnia passuros, ausurosq; qui vero illud non præstiterant legitimi gladiatores non videbantur. Videatur Petronius in *Satyrico & juvenalis* qui *juramentum pro ipsis militibus posuit*. *Pramia nunc alia* ἀτζ, *alia emolumenta notemus* *Sacramentorum* i. e. militum *juramento adactorum Germanis* *Eyd / Eydenschwur / Fluch / quæ posterior tamen vox potius execrationem*, quam *juramentum* significat.

13. His

**Petron. p.  
21. & 22.  
super eun-  
dem locum  
juven. Sat.  
16.**

13. His possumus addere ~~neglovupetor~~ s. *conjugatum* quod est participium *juratus* in voce passiva actionem significans, quemadmodum *circumspectus* is est, non qui *circumspicitur*, illum enim conspicuum appellamus; sed qui in omnem partem Jani instans spectat: sic & *juratum* dicimus illum qui juravit, ut *judex juratus*, *testis juratus*, h. e. *jurejurando astrictus*, se nihil contra quod verum esse sciat dicturum: *Injuratum* qui non juravit, ut *civis in juratus*.

Schard. in  
Loc. jar.  
Valla. l.l. 2.  
El. 6. 30.

14. Hucusq; Tractatio *Nominalis*: nunc ad *Realem* accedimus, in qua partim *essentiam* partim *existentiam* scrutabimur; hac illi præmissa, ne frustra laboremus in consideranda rei quidditate quæ forte non datur.

15. Existentialia considerari potestum *absolutè* quod sint *juramenta*, tum *respectivè*, quando, quomodo & ubi cæperint.

16. De priori non est, quod in re tam clarâ multum laboremus. Dari enim *juramenta* & semper omnibus ferè populis in usu fuisse testatur. (1.) *Scriptura tam V. quam N. T.* dictis & exemplis id ipsum abundè confirmans. (2.) *Ratio* eorum necessitatem dictans. (3.) *Consensus Scriptorum Ethniconorum*, qui multa lectu jucunda & memorati digna de *juramentis* eorumq; variis ritibus & religiosis observationibus posteritati reliquerunt.

17. *Respectivè* autem *existentiam* *juramentorum* explorare puta *Tempus* quando esse cæperunt. Modum quo cæperunt: & *Locum* ubi cæperunt, nostrarum virium non esse fatemur, sed potius ea ob *vertutatis injuriam*, quæ ut Varro inquit, multa tollit, pauca non depravat, vix in lucem proferti posse duco. Nam & antiquissimis *Abrahe* temporibus *juramenta* in usu fuisse constat ex *Gen. 14. 22. cap. 21. 23. cap. 24. 9.*

18. *Existentialia* sequitur ipsa *Essentia* definitione aliquà evolvenda. *Juramentum* est *actus assumptioni divini nominis*, quæ homo *juxta Dei ordinationem in rebus dubiis* illum tanquam *testem eorum*, quæ dicit aut promittit *invocat*, in *veritatibus* *testificationem* & *litium* *Keckerm. decisionem*. *Genus* hic ponitur remotum & proximum; Illud ad *l. i. System. maiorem* perspicuitatem: *Hoc* (*assumptio nominis divini*) quam. *Log. sct. vis etiam οὐγαρύματα* pro *juramento* ponitur *Esa. 3. 7. Si Heb. te- post. c. 2.*

xliiiii

xtum consulas 2. Cor. 2. 1. tamen quia & extra juramentum nomen  
Dei assumitur. Genus juramenti recte dicitur. Differentia sumi-  
tur à Causa Effic. Subjecto, Objecto, formalitatem, & fine. De  
singulis ordine.

19. Causa efficiens principialis seu Autor juramentorum est ipse  
Deus, nuspianam quidem in lege simpliciter mandando. Est enim jura-  
mentum ex eorum numero, quæ non tanquam per se bona & sim-  
pliciter licita, sed ex hypothesi ob controversiarum finem sunt  
mandata & expetenda, quemadmodum usura & divortium Ju-  
dæorum non per se bona sunt, cum illud propter inhumanitatem  
nostram, hoc ob duritatem cordis dicente Christo concessum sit.  
*Sed modum & certas formulas prescribendo* Deut. 6. 13. c. 10. 20. Exod.  
22. 11. Jer. 4. 2. p̄e cundo Gen. 22. 16. Esa. 45. 23. Jer. 22. 5. c. 51. 14. Eze.  
33. 11. Sanctorum exempla in verbo suo proponendo Gen. 14. 22. Gen. 21.  
24. c. 24. 37. c. 50. 25. Jos. 9. 15. 1. Sam. 20. 3. 2. Cor. 2. 1. 1. Thes. 5. 27. An-  
gelorum Dan. 12. 7. Apoc. 10. 6. perjuria & juramenta Idololatræ  
prohibendo Lev. 19. 12. Jos. 23. 7. Jer. 5. 7. c. 12. 16. legitimè jurantibus  
benedictionem promittendo Jer. 12. 16. Psal. 15. 4. 5.

20. Minus principalem seu causam juramentorum impellentem  
dicimus in juramentis judicialibus & necessariis Magistratum, quan-  
do Judex ex aliis documentis veritatem non perspiciens alterutri  
litigantium judicialiter juramentum defert, ex mandato Dei Exod.  
22. 8. 11. & inevitabili necessitate Heb. 6. 16. Non tamen ad juran-  
dum cogere potest quem certo pejuraturum prævidet, imprimis si  
tanquā oculatus testis certiora hujus vel illius rei fundamenta ha-  
beat; sic enim ad jurandum cogere est ad mentiendum cogere,  
peccato & profanationi divini nominis quam impedire potuisset,  
ansam dare. Vide gravius quid dicentem Petrum Gr. Tholosan-  
lib. 36. syntagm. c. 23. num. 3. Quod tamen non valet ubi saltem su-  
spicio est de perjurio, modo sufficiens præcesserit admonitio, &  
lites aliter finiri nequeant. In extra judicialibus proximi dubita-  
tionem & adjurationem, quando proximus rem dictam aut pro-  
missam in dubium vocat, ideoq; ut de re certior fiat, juramentum  
per Deum exigit; qualia juramenta alias privata dicta, si sobrie re-  
verenter sancte & necessariis rebus adhibentur, non damnamus,  
cum Sanctorum exemplis fulciantur Gen. 24. 3. cap. 31. 54. c. 50. 25.  
Ruth,

Luth. 3. 13. Justae enim necessitati ad proximi redificationem promovendam haec omnia serviebant.

21. Materia juramentorum est vel in qua vel circa quam; illa subjecti, hec objecti nomine venire solet.

22. Subiectum juramentorum facimus (1.) Non Deum, is enim ut summe verax fallere nescit ex impotentia fallendi absoluta, adeo ut divinas assertiones nullis juramentorum confirmationibus indigere & omnia verba Dei quo ad certitudinem quasi jura-  
menta esse credamus. Quod autem Deus nihilominus sapissime

Gen 22.16.

Ez. 45. 23.

Jer. 44. 26

promissionibus suis juramenta addiderit (jurando per se ipsum quia se majorem non habet, per quem juret) infirmitati nostrae de Deo ex hominum moribus judicare solita consulere voluit, ut si non promittenti saltem juranti crederent mortales ab assensione alieni.

(2.) Nec Angelos cum & apud eos omnis fraus exulet, non ob impotentiam fallendi absolutam, sed ob potentiam non fallendi per naturam, quam habent ex gratia creationis jam vero adeo in veritate confirmatam, ut fallere non possint, quamvis tamen & illi aliquando jurasse leguntur, ut tanquam veri Φιλανθρωπi nostram imbecillitatem sublevarent, nec ullam dubitationi materiam relinquerent. (3.) Sed solum hominem: quippe qui solus amissus, cheu, concreata justitia originalis integritate quotidie a Diaboli, carnis, & prava voluntatis suggestionibus, ad quasvis lites & fraudes impellitur, ut saepe vix nisi gravissimarum per Deum adjurationum interventu decidi, aut veritas exigi queat. Ad quae virtutis utut omnes homines proni inveniantur, non tamen omnibus promiscue juramentum deferendum, sed ab eo tanquam actu religioso excludendos esse censemus (1.) Furiosos, quia omni iudicio carent, nec ullum negotium recte gerunt, unde & apud ICtos pro absentibus habentur. (2.) Pueros & sano rationi usu destitutos, quippe qui inter res licitas & illicitas, possibles & impossibilis non magis ut furiosus distinguere sciunt, nec verum eorundem finem intellegunt. (3.) Ebrios quorum nec lingua, nec mens officium facere solet, unde veteres juramenta mane potius fecisse colligimus ex Gen 26. 31. (4.) Perjurii semel damnatos. Nam qui semel pejeravit, ei credi postea, etiam per plures Deos juret, non oportet. (5.) Infames stigmaticos & in manifestis sceleribus aliquoties deprahen-

Dan. 12. 7.

Apoc. 10. 6.

P. Gr. The.

I. so. c. 7. n. 6

Cic. pro

Rab.

*sos, quid mirum enim si illi qui crebro flagitorum usu & haud de-  
lendā infamia jam prorsus obduruerunt, se sui similes in hoc actū  
præbeant, & juramentorum sacra risum jocumq; faciant?*

**23.** *Bona ergo fidei personis juramenta sunt deferenda, maximē  
qui habent timorem Dei & pietatem, nisi enim ita assumatur no-  
men Dei, invanum assumitur. Dico maximē quia urgente neces-  
itate non excludimus. (1.) De perjurio suspectos Iudex enim ordine  
juris id exigente, ut tali juramentū deferatur, si Deo rem omnem  
committat, & suspectum quanta juramenti vis sit, admoneat, ve-  
rām perjurii occasionem præbuisse dici non potest. (2.) Nec Idolo-  
latras qui per Deos alienos juramenta deponunt, ut si Gentilis juret  
per Jovem, Herculem, &c. Turca per Mahometem Alcoranum,  
Pontificius per omnes sanctos; talia juramenta utiq; admittenda  
sunt, quamvis n. per verum Deum non sint, sufficit quod religio-  
nem in cutantiis, qui se legitimē jurare persuasum habent. Unde  
& Jacob Labanis juramentū factum per Deum Nahor, qui tamen  
gentilis erat Jos. 24.2,3. ex opinione Labanis ratum censuit, suoq;  
juramento per verum Deum quem appellat timorem Isaac, re-  
spondit: nec dubium est, quin & Judæi quoties in lib. i. Maccab.  
cum Romanis aut aliis pacem firmarunt, quibus per verum Deum  
jurarunt, illos per falsos Deos jurantes audiverint, cum hic non  
tam causa formalis, quam finalis & jurantis ~~receptio~~ spectanda.*

**24.** Objectum seu Materia circa quam juramentorum est res  
controversa, de qua juramentum suscipiendum. Illa autem sit  
(1.) *Vera.* Nam qui Deum mendacii testem facit, gravissimam Dei  
penam incurrit Prov. 12.22. Ps 57. (2.) *Certo cognita* de quibus e-  
nim ipsi dubitamus, de iis neq; aliis certi quid affirmare possumus.  
(3.) *Licita* Nam de illicitis rebus & in lege Dei prohibitis jurare,  
est Deum illarum approbatorem facere. (4.) *Possibilis* De impossibili-  
bus enim ad quæ nemo obligatur, qui jurat ille Deum & ho-  
mines ludibrio habet. (5.) *Gravata, necessaria & utilis*; ut sc. in Re-  
publicæ vel Proximi utilitatem suscipiatur juramentum. Qui enim  
ad quamvis rem leviculam tam leviter & futiliter jurant, nomine  
Dei religiose, reverenter, & pie in sermone non utuntur.

**25.** Duo hic circa Objectum notanda veniunt. Unum anque-  
vis juramenta jurantem in conscientia ita obligent, ut necessario  
sint

sint servanda? De hac quod iudicium feratur ex objectis. Alia sunt  
de rebus veris, certo cognitis, licitis, possibilibus, gravibus necessariis  
& utilibus, qualia servanda esse docenturationes & Sanctorum ex-  
empla; sive facta sint amici, sive inimici, sive fidelibus sive infidelibus,  
quibus si non serventur perfidiam Deus graviter punire solet, ut  
videre est ex lamentabili exemplo Saulis ejusq; posteriorum & Ula-  
dislai Regis Hungarie, Amurathi Turcarum Imperatori fædus  
non servantis, sive hæreticis quamvis enim Magistratus est hæreti-  
cos coercere, non tamen tum id fieri debet quando promissio cum  
juramento interposita est, quæ certe violari non debet. Ideoq;  
Pontificii Patres Constantienses à gravi peccato absolvere non  
possunt, quicquid etiam prætendant eos Johannem Hus ut hære-  
ticum non potuisse dimittere, quia jam in eorum potestate erat. At  
data fide publica ad eos venerat, & sic illum non habebant in po-  
testate sua, Venierat quippe præmisso & iurejurando fretus alio-  
qui non venturus. Sive vi motuq; sunt extorta modo res sit licita &  
possibilis, quamvis enim sunt talia juramenta animo invito ratio-  
ne principii extrinseci, voluntaria tamen sunt ex parte tum finis  
tum principii intrinseci h. e. voluntatis libere eligentis id, quod  
melius est, pro ratione temporis ac loci, adeoq; sic mixte agitur  
secundum quid coacte, secundum quid libere, & quidem in re li-  
cita & possibili. Sive dolo & fraudibus: non enim hic tam animum  
deherentium, quam jurantis intentionem attendendam esse lauda-  
bili facto docuit Heros Josua. Sive etiam cum domino nostro & rei  
familiari jactura sunt conjuncti: sciebat hoc David qui Saulo jura-  
mentum dederat se semper ejus non deleturum, ideoq; potius cum  
vitæ periculo Simeum & alios Sauli posteros ferre voluit, quam  
juramentum irritum reddere & nomini Dei per quod juraverat,  
suam in columitatem preferre. Alia juramenta sunt de rebus falsis,  
incertis illicitis, impossibilibus, levibus & futilebus, quæ ut fieri non  
debent, ita si facta sunt, conscientiam non obligant, sed retrahit  
possunt: sive vi motuq; sunt extorta: sive dolo & fraudibus: sive ex  
errore, infirmitate, aliuq; illicitis affectibus facta. Vide Davidem  
rescidentem juramentum de excidio Nabalis, de Simei conser-  
vationem ob dictum Exod. 12. 18. quem utinam fecuti essent Jephtha  
& Herodes qui gravia & atrocia facinora sub specie juramenti,

2. Sam. 21.

Jos. 9.

1. Sa. 24. 22.

2. Sam. 16.

& 19.

1. Sa. 25. 32

1. Reg. 2. 8. 9

quod ut de se illicita factum ita rescindi debuisset, commiserunt! Valeat ergo in talibus casibus Regula illa. Quod male juratur pejus servatur, & impia est promissio qua cum scelere adimpletur. Neque hic Papa Romanus relaxandi dispensandi potestatem habet. Quam sibi etiam in legitimis juramentis vendicat: exemplo est nobis Zacharias, qui Francos quo suo Regi astricti erant, sacramento solvit, Regem dejicit & Pipinum in ejus locum surrogavit. Aut enim causa justa est aut injusta: Si justa nullius hominis autoritate relaxari potest: Nisi fortasse altera pars cui juratum est, à conditionibus datis discedat, ubi Regula illa locum habere potest, Frangenti fidem, fides frangatur eidem. Vide Paulum assentientem in I. Cor. 7. 15. de fide in conjugio data. Si injusta Papæ relaxatione non opus habemus, qui in male promissis semper fidem rescindere debemus.

26. Alterum quod hic circa objectum notamus est de iuramentis levi de causâ temerariè suscepti, an etiam in V. quam in N. T. sint prohibita? Nobis affirmantibus Photiniani à virtutis profiteantur, quorum tendant, nemo non videt, sc. ut in II. præcepto vñitatis suam obtineant, Christum Decalogum perfectiorem reddidisse, non quoad clariorem explicationem, sed quoad rem & præcepta. Ubi tamen notandum (1.) Quod quæstio non sit de juramentis in rebus gravibus & magni momenti, talia enim iuramenta admittit Smalcius disp. 6. Refut. Vide Frantz pag. 396. & Osterodus in institutionib. (2.) Quod qu. non sit simpliciter de juramentis levibus & sine causâ susceptis, quando negotia per EST & NON possunt transligi; ea enim utraq; pars damnata. (3.) Sed queritur, an Moses saltē falsa, Christus autem insuper iuramenta quædam voluntaria de rebus veris sub V.T. licet a prohibuerit & sive an in V.T. licuerit quavis de causâ jurare, modo quis non pejeraret, nunc verò non tantum pejerare non licet, verum etiam jurare non licet levi de causâ & in quotidiana ritâ ut Smalcius loquitur loco cit. Vide & Catechism. Racov. p. 159. Osterodum loco cit. Idemq; affirmit Smalcius de divinitate Christi p. 20. Nos dicimus eandem hic esse rationem tam in V. quam in N. Testam. quod probamus. (1.) à generali interdicto Exod. 20. 7. ubi vox נַא שׁ inyanum seu frustra om̄nem frustaneam nominis Dei acceptionem prohibita esse indicat, in qua significatione eadem vox legitur. Psal.

Psal. 89. 48. Psal. 127. 1 & in latino Photinianorum Catechismo p.  
185. Si ergo omnis vana & frustranea nominis Dei assumptio in  
V. T. est prohibita, sequitur quod etiam juramenta non solum  
falsa, sed & levia & temeraria & non necessaria quæ per vanam  
nominis Dei assumptionem fiunt, sint prohibita. Sed verum prius.  
E. & posterius. (2.) à Requisitis juramenti in V. T. debebant fieri  
**בְּאַמָּה תִּשְׁלַח וּבְצִדְקָה** Jer. 4. 2. quod Lutherus veritatem ohne  
Heucheleyn/recht/vnd heilig. Quodcunq; ergo Judæi præstare te-  
nebantur devote & animo deliberato illud iis non licuit leviter &  
temerariè. Atq; de juramentis verum est prius. E. (3.) à legi  
conditione seu objectu. Quicquid in V. T. peccatum esse ostenditur,  
illud etiam in lege est prohibitum, ubi enim non est lex ibi nec **Ro m. 4. 15.**  
transgressio, juramentum leve & temerarium in V. T. ostenditur  
esse peccatum Os. 4. 15. Syr. 23. 9. E. Nec se extricabit Photinianus  
si dicit verba Christi Matth. 5. 34. **Ne juretis omnino** opponi legi  
Mosis, **Non peierabis.** Nam si ob **et omnia** verba Christi simplici-  
ter accipienda sunt, sequitur omnia juramenta etiam de rebus gra-  
vibus & magni momenti prohibita esse, quod tamen nunquam  
concedet, ob assertum Catechismi Racov. Latin pag. 160. & Oste-  
rodi, qui hac in parte Anabaptistas refutavit loco cit. **Dicimus ergo**  
**Christum hæc verba opposuisse legi Mosis non simpliciter, sed per phar-**  
**isaicorum traditiones depravatae, & male intellexæ,** quæ geminæ e-  
rant. (1.) Licitæ esse juramenta, quibus in quotidiano convictu  
per cœlum, templum, terram, caput, modo non per nomen Dei  
fidem astringebant. (2.) Optimè persolvi juramenta, si modo eo-  
rum fides servaretur, quæ expresso Dei nomine suscepta erant, cæ-  
tera facile rescindi posse, quæ omnia contextus demonstret.

27. Forma juramentorum, seu potius formalis ratio consistit  
in ipsa Dei invocatione seu attestatione. Ubi enim Deus non invo-  
catur ut testis verborum nostrorum, ibi nec legitimum agnoscim-  
us juramentum: alii exsecrationem addunt, Deumq; non tantum  
ut testem, sed ut vindicem si fallunt, invocant. Verum exsecratio  
propriè non est in omni juramento, nedum tacita, multo minus  
expressa; non tacita, quia Deus verè & propriè jurat (promissio e-  
nam & juramentum in Deo sibi opponuntur Act. 2. 30. Heb. 6. 17.)  
exsecratio tamen sub intelligi haud potest, Deo superiorem non

cognoscente, & fallere nescio: *Non expressa*, Angeli enim & multi  
sancti juramenta præstiterunt non adhibitâ exsecratione, utut su-  
periorem Deum vindicem severissimum agnoscant. Distinguimus  
ergo inter juramentum *simplex* & *exsecratorium*. *Ilo* Deus simpli-  
citer ut testis; *boc* etiam ut vindex si fallimus, invocatur.

28. *Jurandum autem est per solum Deum*, (1.) Quia expres-  
sum extat mandatum Deut. 6 13. cap. 10. 20. Esa. 45. 23. cap. 65. 16.  
(2.) Quia est species invocationis cultusq; soli Deo debiti (*supra-*  
*th. 10.*) Cui ergo convenit genus, eidem & species, quod adeo  
verum ut *non* jurare & invocare pro æquipollentibus habeantur ju-  
xta illud Pauli *invoco Deum testem super animam meam*, confer su-  
prath. 4. (3.) Quia juramentum ei per quem juramus tribuit  
*magdiorum*, omnipræsentiam, omniscientiam, arcanorum ma-  
nifestationem, justamq; perjurii vindictam. Atq; hæc omnia soli  
Deo competunt. (4) Quia Sanctorum exempla, qui per solum  
Deum juramenta præstiterunt, idem evincunt.

2. Cor. 2. 7. 1. Reg. 8. 39.

29. Atq; hinc apparet, quam nequiter in gloriam Dei incur-  
rant illi, qui per *creaturas* *jurant*, numinis & divinitatis eis aliquid  
tribuendo, potestatem scil. benè vel malefaciendi, & probandi te-  
stimoniū autoritatem. Talia fuerunt juramenta *Ethnicorum*, quan-  
do viri per *nomina* & *numina* *consecratorum* *Heroum* *jurare soliti*  
*sunt*, per *Cæsarem*, *Augustum* & *alios Imperatores*, qui inter Deos  
relati, & pro Diis habuerūt cœperant: *fæminæ* per *Drusillam*, ex man-  
dato *Caij*, per *Liviam* ex mandato *Claudij*, quæ juramenta etiam  
tam sancte habita fuisse, ut citius per omnes Deos, quam per unum  
Genium *Cæsaris* pejerarent, testatur *Clariss. Dn. Kirchmannus in*  
*Tractatu de funevib Rom.* Vide diversa diversarum gentium jura-  
menta apud *Alexandrum ab Alexandro* qui varia lectu, digna &  
ineunda è varijs de hac ipsa materiâ observavit. Nec minori cul-  
pâ se contaminarunt *Pharisei* per *templum*, *cœlum*, *terrā*; *Ponti-*  
*dierū* 6. 30. *fili per angelos*, *santos*, *Mariam* *jurantes*, *ita me Deus adjuvet* &  
*mater Domini cum omnibus sanctis*. Qualia juramenta merito rej-  
cimus, propter datas rationes in th. 28. quibus addimus expressam  
Dei prohibitionem, ne per *Idola* *juremus* Exod. 23. 13. Jer. 5. 7. aut  
per *creaturas* Matth. 5. 34. Jacob. 5. 12. At *Sancti* sunt *creaturae*. Et  
per *sanctos* non est *jurandum*. Juratur quoq; à *Pontificiū*, & non  
nulli

Kirchm.de  
Fun. l. 4. c.  
14. p. 656.

Alex ab A-  
lex lib. 5  
Geneialiū  
dierū 6. 30.

*nihil nostratum per Deum & Evangelium ex institutione Justiniani  
Imperat quam jurandi formulam eatenus excusat Balduin. quatenus voce Evangelii summam pñnam, privationem sc. Evangelii nobis si fallimus, imprecamur; præstare tamen à tali formulâ prorsus abstinere, quam in gratiam adversariorum eâ alio forte sensu uti, ne cum ipsis colludere videamur. Tantum autem largimur Pontificiis, ut distinguamus inter juramentum simplex & execratorium: hoc quis creaturam ad se pertinentem devovere posse, adeoque Dei ultiōni qs. oppignorare concedimus ex 2. Cor. 2. 1. Ps. 7. 6.*

Balduin. l.  
2. de Cas-  
bus c. 9.  
cas. 2.

*Quia autem ex malâ consuetudine & quotidiana sermonis levitate, per elementa, sacramenta, vulnera &c. jurant & imprecantur, illi ut talia sine contemptu divini nominis non efferunt, ita Deum vindicem habebunt justissimum.*

30. Formali rationi subjungimus ceremonias & ritus in juramentis adhiberi solitos, ne dicam debitos; non quod sint de essentiâ juramenti, sed quia propter utilē quam præstant, commonefectio nem, raro à juramentis absunt. *Ethnici variis usi sunt ceremoniis:* Alii per jovem juraturi lapidem silicem tenebant, hæc verba loquentes: Sisciens fallo, tum me Diespiter salvâ urbe, arceq; bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem, uti ex festo norat Polyd. Virgil. & hoc dicebant per jovem, lapidem jurare: Alii massam ferri igniti, sustinentes rogarunt Deos, ut illud juramentum firmum esset, donec illa in aquis supernataret, quam mox in profundum dejeicerunt, putabant enim eos, qui sanctè & legitimè jurant, etiā illælos supra ignem incedere. Olympicis Athletis solenne fuit super exsecti suis testibus jurare, se nihil fraudis aut insidiarum commissuros; sic & foedera facientibus supra victimarum testibus. *Carthaginem-*

Alex. ab A-  
lex loco ci-  
tato.

Polyd. Virg-  
de Invent.

Natal.

Comes

p. 665.

Val. Max.

l. 9. o. 3.

Liv. l. 1.

dec. 3.

Petrus Gr.

Tboloſl.

19.6.4.3.2.

*ses altaria tenentes jurabant, uti notavit Valerius Max. de Hannibale, quod altaria tenens juraverit, secumprimum perætatem posset acerrimum hostem populi Rom. futurum, quem Livius inducit lævâ manu agnum & dextrâ lapidem silicem tenentem, Deosq; precantem, ut si falleret, ita eum maſtarent, quemadmodum ipse agnum, & secundum precationem pecudis caput saxo eliſſe.*

*Milites jurabant pollicibus elevatis, strictis gladiis, cervicibus q; ad mortu. Christiani quoq; suos habent ritus crucem, Evangeliorū librum aut biblia tangendo, ut juratus admonetur fidei Evangelicæ & benefic.*

beneficiorum Redemptoris sui in Evangelio si fallit, se non participem futurum; Tactis autem iis objectis, ut & sublata manu jure, **I**Ctis dicitur **corporaliter jurare**: *vel lucernam accendendo*, ut cogitat Dei oculis omnia nuda & aperta esse Heb. 4. 13. *vel ad aram Templi se sistendo*, qui mos omni laude dignus Regiomonti Prussorum obtinet, ubi Senatores & Scabini novitii Dominicā Reminiscere coram altari præmissā à cætu cantione *Veni Sancte Spiritus*, juramentum clarâ voce, ut ab omnibus audiri possint, dicunt. *Vel campanā signum dando*, quod hic Rostochi observatum, quo omnes id audientes admonebantur, ut pro juraturo Deo supplicarent, ne quid contra veritatem in animæ sua perniciem & proximi detrimentum pronunciaret: *Communiſimè autem manum & digitos ad cælum elevando*, idq; exemplo Dei qui *et quoniam dominus ita de se jurante loquitur Ezech. 36. 7.* Angeli Apoc. 10. 5. Abrahæ Gen. 14. 22. Scilicet ut juratus admoneatur mentem inter jurandum ad Deum esse elevandam, qui est testis veritatis *καρδιογνώσης* & perjurii vindex. Qui tamen ritus utut liberi sunt, variantq; (Qui enim Angelus Apoc. 10. 5. *unā ad cælum elevatā manu jurat*; idem velalius lineis indutus vestibus Dan. 12. 7. *utrāq; ad cælum elevatā manu jurasse legitur*: sic præfectus domus Abrahæ jurat *pouendo manum sub femore Domini sui*. Gen. 24. 3. & Josephus sub femore Patris Gen. 47. 29.) rectè tamen, solennioribus cum primis juramentis, aliqui adhibentur ritus, tales præsertim, qui vel de juramenti religione, vel de Dei præsentia, & erga ipsum reverentia cum jurantes, tum actui tam religioso præsentes admonere possint, qualis inter alios est, *quod jurantes levatā dextrā, tribusq; primoribus erexit digitis jurent in testimonium vel signum S. S. Trinitatis, quam in animam suam testem invocant.*

31. *Finem juramentorum duplicem facimus, unum internum: alterum externum. Internum est ipsum jurantis opus, quod est veritatis manifestatio & confirmatio: eo enim tota juramenti actio respicit, ut verum apud adversarium confirmetur, qui non nisi jurato erat crediturus. Externus seu utilitas quæ inde fluit, est lictum decisio vel ad Dei gloriam, vel Ecclesia & Reipub. nostramque & proximi salutem. Unde Autor Epist. ad Hebr. 6. 16. juramentum*

eum approbat à fine & utilitate , quod ad finiendas controversias faciat.

32. Non ergo in juramentis uti licet *ulla equivocatione* & *per* *Bołię aut mentalii reservatione*, ut si quis hosti aliquot dierum Inducias promittat, noctu autem invadat, dicens dierum non noctium factas esse inducias, quali astutia Thraeces hostes suos circumvenisse perhibentur. Sic de Arrio refert Nicephorus, quod Imperatori jurarit se universam confessionem Nicenam, sicuti subscríperat approbare, subintelligens aliam confessionem Nicenae contrariam, quam in sinu manu sua scriptam gestabat, de qua tamen quæstio non erat. Nos autem contra sic argumentamur. Omne legitimum juramentum sit in veritatis manifestationem, dubiorum exemptionem & controversiarum decisionem Heb. 6. 16. juramentum cum sermone ambiguo & mentali reservatione non sit in veritatis manifestationem, dubiorum exemptionem & controversiarum decisionem. E. tale juramentum non est legitimum juramentum, imò potius mentiendi licentiam facit. Sermo enim est character animi, cum quo si non responderet, mendacium est & dolus. Scripturā à mendacium & dolum simpliciter prohibet Lev. 19. 11. Ps. 12. 4. Eph 4. 25. & detestatur eos, qui corde aliter sentiunt quam ore loquuntur Jer. 9. 6.

33. Cæterum ex supra dictis patet, haud quāquam audiendos esse ex veteribus Manichæos, ex receutioribus Anabaptistas, qui jura Christianis simpliciter interdictum contendunt, abutentes ad hoc verbis Christi *Ne juretis omnino* Matth. 5. 34. Quæ verba tamen non simpliciter, sed secundum quid & subjectam materiam de qua sermo erat, sunt accipienda: quo sensu & vox omnino accipitur Jos. 11. 23. ubi de Josua dicitur, quod totam omnino terram acceperit, sicut promiserat Jehovah, at tum nondum omnino totam accepisse patet ex cap. 14. & jud. 1. confer etiam Exod. 9. v. 25. cum Exod. 10. v. 5. & 15. Eadem ergo acceptio & hic locum habeat. Certum enim est, Christū concione suā Matt. 5. non tollere legem moralē in V. Testam. traditam, præfatiunculā ejus concionis id satis probante. *Non putetū, quod venerim solvere legem.* Ergo nec illud quod Exod. 22. 11. traditur de juramentis in certis casibus accipiendis & exigendis. Nativam igitur potius sententiam restituit corruptelasq; Pharisæorum reprehendit, qui vel ex levissimā causā jurabant, sic ex

C

levitate

P. Martyr.  
pag. 187. a.

Niceph. l. 8  
bist. Eccles.  
6. st.

levitate infacilitatem, ex facilitate in consuetudinem jurandi, tum, ex hac in perjurium venientes; vel jurabant per cœlum, terram Hierosolymam &c. sic istis aliquid divinitatis tribuentes; vel ea ipsa juramenta quæ per creaturas præstabant, dissolvebant & contemnebant, sic creaturis tanquam mendacii testibus abutentes, quæ tamen potius virtutum quam vitiorum organa esse debent; illud erat temeritatis, istud idololatrias, hoc impietatis. Quod omne ut à Christianis fugiendum esse & nos concedimus, ita legitimum juramentum iis omnino licitum esse afferimus, argumentorum quibus id probamus aliis petitis à Causa efficiente Quicquid Deo auctore, Magistratu rectè jubente, & necessitate exigente introductum est, illud sine omni peccato observari potest. Atq; de juramentis prius est verum vide th. 19. 20. E. & posterius. Alii à subjecto seu materia in qua. Quicquid Deus ipse, Angeli & Sancti præstiterunt, idem & Christiani absq; peccato facere possunt, si enim juramentum ulla tenus peccati rationem haberet, morera hunc nunquam tam sedulo observassent. At de juramentis verum est Antecedens. th. 19. 22. 23. E. & consequens. Alii ab objecto seu materia circa quam, juramenta suscipiuntur de rebus veris, licitis, possibilibus, necessariis & utilibus th. 24. Ergo & religioni Christianæ non repugnat. Alii à formâ, Invocatio nominis Dei non solum est licita, sed ut moralis cultus in N. T. & necessaria & mandata. Juramentum est invocatio nominis divini. th. 27. Ergo. Alii à fine Cujus finis per se bonus, necessarius & utilis est, & voluntati Dei consentaneus, id ipsum etiam bonum & necessarium rectè censeur. At juramenti finis talis est, sit enim in veritatis manifestationem & litium decisionem th. 31. 32. quibus gloria Dei illustratur, & saluti hominum consultatur. E. Addimus hisce *predictiones propheticas de juramentis in N. T. prestantibus* Esa. 19. 18. Jer. 4. 2. cap. 12. 16.

34. Requisita & conditiones juramentorum petere solent Thologi è dicti Jer. 4. 2. & Hieronymi verbis super illud. *Et jurabit, vivit Dominus, in veritate, iustitia & iudicio.* Omne ergo juramentum fieri oportet. (1.) *In veritate*, ut excludantur perjurium, fraus, dolus, ambiguitas, simulatio & mentalis reservatio. (2.) *In iustitiam*, i.e. de re justâ licita & possibili, quæ non pugnant cum fide & charitate. (3.) *In iudicio* ut non solum diligenter expendamus, an id quod juramus verum aut falsum sit, sed ut rei certæ & compertæ judi-

judicium adhibeamus, an gloria Dei, & proximi salus, necessitas officii & Magistratus mandatum tale juramentum inevitabiliter exigat?

35. Denique, cum legitimo iuramento quænam pugnant, facile ex illis, quæ hactenus dicta sunt, colligitur. (1.) Respectu Causæ Effic.  
pugnat recusatio legitimi juramenti, non obstante hoc, quod ipse Deus morem hunc instituerit, Magistratus & necessitas exigat. In talem autem contumaciam recte animadvertisit secundum communem illam ICtorum regulam. Si noluerit Actor jurare, cedit à jure & actione, si rem nolit pro confessio habetur. (2.) Respectu subiecti pugnat juramentum delatum iis, qui vel propter etatem, vel defectum aliquem rationis judicio uti nesciant. (3.) Respectu Objecti juram. temerarium & futile, dum multi temere sine judicio & causâ ex consuetudine & levitate jurant, ubi per EST & NON negotia transfigi possunt, qui tamen majori prudentiâ sibi consulere debebant, cogitando, Dei nomen hac ratione vilescere, illud que, ut sit testis voluntatis nostræ & fallentes puniat, invocari, atque ita ad hanc poenam seipso obligare, quale fuit Saulis I. Sam. 13, 39, 44. & dicitur uno nomine dejeratio. Iniquum cum quis jurat, se tales quid commissurum, quod cum verbo Dei, & honestis legibus pugnat, quale fuit Davidis de Nabale trucidando, unde & ab Abigaille monitus id non persolvit: quo pertinet & horum juramentorum impletio, si quis sub specie religionis ea, quæ impiè promisit, impiè præstat, & sic duplex peccatum committit, jurando & præstando, quale fuit Herodis Matth. 14, 9. (4.) Respectu Formæ juramenta Idololatrica, cum juratur per Sanctos, aut alias creaturas, quæ non sunt Deus Jer. 5, 7 & qui simul jurat per Deum verum, & Deos gentiles Gen. 31, 5. Zeph. 1, 53. (5.) Respectu finis pugnant juramenta ambiguis verbis concepta, & mentales reservationes, de quibus supra dimisimus: Item perjuria, dum quis scienter & de liberato animo falsum jurat; vel assertoriæ, interposito juramento, aliquid animo fallendi asserendo, quod se aliter habere novit; vel promissoriæ juramento id promittendo, quod vel animo præstare non cogitat, vel et si præstare cogitavit cum juraret, postea tamen nō præstat, cum possit & debeat. Quæ omnia ut cum religioso & legitimo juramento pugnant, ita Deum vindicem habebunt severissimum, juxta illud Exo.

20,7. Deut. 5, 11. Non habebit Dominus in sôntem illum, qui assumptis nomen ejus in vanum,

P. Gr. Thol

b. 48. c. 6.

n. 4.

Coroll. de ascensione Christi in cœlos, hoc tempore  
in Ecclesiâ doceri solitâ.

- (1.) Unicus tantum est Christi ascensus in cœlos : quod contra Smal-  
cium qui geminum statuit ; unum tempore quadragesimali ; alte-  
rum 40. post resurrectionem die.
- (2.) Antequam ascendit, perfectum opus sacerdotale præstitit ; contra  
eundem post ascensionem id temum absolutum esse affirmantem.
- (3.) Vero autem & locali moro in cœlos receptus sedere dicitur ad  
ad dextram Patris, quâ phrasi Psal. 110. i. non corporis situs, sed divi-  
na maiestas & potentia cum summâ beatitudine denotatur. Psal. 16.  
ii. Matth. 26. 64. Eph. 1. 20. 21. i. Pet. 3. 32. i. Cor. 15. 25. 27.

UT lites in judiciis sedare forenses  
Juramenta solent : sic nata Ecclesiæ in agro  
Ipsis de juramentis lis extitit ipso ex  
Semine mandati , quod princeps pacis Jésus  
Severè edixit ; Vos ne jurate ; sed omnis  
Vester sermo sit, EST, EST ; NON, NON : Cætera namq;  
Principe sunt exorta malo. Tu, CRÖCHELI Amice  
Hanc si, ut conaris, poteris componere litem,  
Quod precor, egregiam, mihi crede, mærebere laudem.  
M. JEREMIAS NIGRIN.

I Nclytæ quem vedit Prussorum Academia nodos  
docte solventem claro de ponte cathedrae  
Non jam torpenti facit impia sacra Vacune,  
Sed totus Phæbi est cæptumq; fideliter urget  
Cernitū? ut studeat cathedras animare Roseti  
Doctrinaq; suæ spargat documenta per orbem  
Qualiter occulto succrescens fertilis aeo  
Arbor flore comat preclarâq; germina profert  
Sic & CRÖCHELIUS Patricie sat nobilis arbor  
Insignes mentis protrudit in ethera fructus.  
Exultare potest merito jam Patria tellus  
Cum videat cum flore suam succrescere plantam.  
Quid non inde boni quid non fausti affuet ipsi?

M. ANDREAS LÖLHEVEL, Regiom.  
Borussus. SS. Theol. Stud.

ff(0)ff ff(0)ff






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn738015024/phys\\_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738015024/phys_0024)

DFG

judicium adhibeamus, an gloria Dei, & proximi salutis  
officii & Magistratus mandatum tale juramentum in  
exigat?

35. Denique cum legitimo iuramento quænam pugnat illis, quæ hactenus dicta sunt, colligitur. (1.) Respectu pugnat *recusatio* legitimi juramenti, non obstante ipse Deus morem hunc instituerit, Magistratus & nec In talem autem contumaciam rectè animadvertisit communem illam ICtorum regulam. Si noluerit Actum à jure & actione, si rem nolit pro confessio habetur. subiecti pugnat juramentum delatum iis, qui vel pro vel defectum aliquem rationis iudicio uti nesciant. (3.) Jejunius *juram* temerarium & futile, dum multi temere si causa ex consuetudine & levitate jurant, ubi per EST negotia transfigi possunt, qui tamen majori prudentiâ si debebant, cogitando, Dei nomen hac ratione vilescerent ut sit testis voluntatis nostræ & fallentes puniat, invocad ad hanc pœnam seipso obligare, quale fuit Saylis 1. Sa & dicitur uno nomine dejeratio. *Iniquum* cum quis iuridum commissurum, quod cum verbo Dei, & honestis agnatur, quale fuit Davidis de Nabale trucidando, unde & le monitus id non persolvit: quo pertinet & horum iuris impletio, si quis sub specie religionis ea, quæ impie praestat, & sic duplex peccatum committit, jurando & quale fuit Herodis Matth 14 9. (4.) Respectu *Fornicationis Idololatrica*, cum juratur per Sanctos, aut alias creature sunt Deus Jer 5 7 & qui simul jurat per Deum verum, & tiles Gen 3 15. Zeph 1 53. (5.) Respectu finis pugnant iuris biguis verbis concepta, & mentales reservations, de quibus ximus: Item perjuria, dum quis scienter & de liberato animo afferendo, quod se aliter habere novit; vel promissoriæ id promittendo, quod vel animo præstare non cogitat, stare cogitavit cum juraret, postea tamen non præstat, cedebat. Quæ omnia ut cum religioso & legitimo iuramentu gnant, ita Deum vindicem habebunt severissimum, iuxta 20.7. Deut 5 11. Non habebit Dominus in sōntem illum, qui psit nomen ejus in yanum.



the scale towards document

.Gr. Thol

48.6.6.

.4.